

varie dispositiones *De iis quæ ad capitulum pertinent*, quarum, in ordine ad rem de qua nunc agitur, præcipuas referemus. « Quo facilius, inquit Patres, episcopus in ecclesia sibi commissa et divinum cultum augere et canonicorum concordiam, mutuatque caritatem conservare, et canonicam disciplinam tueri possit, singulis mensibus, aut saltem sæpe in anno, canonicali capitulo interesse studeat, vel eo loco ubi haberi solet, vel alio quo illud is ad se convocare maluerit; convocet autem ejusvis rei causa, ob quam expedire judicavit. Quo in capitulo aliquando videat an quæ, de divinum officiorum cultu, præscripta sunt recte, rite, ordine atque cum dignitate gerantur. An item si quæ in capitularium rerum tum spiritualium, tum temporalium tractatione irrepserint, quibus pastoralis sua cura consulendum sit. An inter canonicos controversiæ sint, an dissidia. An præscriptæ capitulo leges inviolate serventur. Tum denique moneat, agatque quæ, et pro muneris sui officio et pro rerum agendarum ratione, expedire censerit... Canonici ad capitulum statis diebus accedant, et aliis item diebus extra ordinem eo vocati conveniant omnes, neque cuiquam, illo per præfectum non dimisso, ante discedere liceat nisi ex causa præfecto probata, missioneque ab eodem impetrata... (Acta Eccl. Mediolan. part. I, ubi de con. provinc. III.) » Sequuntur multæ aliæ dispositiones quas referre supervacaneum est. Unde cuilibet perspicuum evadit Patres Concilii prædicti voluisse quasdam regulas circa capituli et canonicorum officia decernere, nihil autem immutasse quoad convocationem faciendam ab ordinario præfecto seu præside et ejus presidentiam; affirmasse tantum jus episcopo competens convocandi et adeundi capitulum, cujusvis rei causa, de quo nulla controversia. Addendum quod, post multa decreta circa materias omnino diversas, in fine hujus tertii concilii, sub rubrica: *Quæ generatim ad hæc decreta et ad alia pertinent*, leguntur hæc verba: « Quamcumque facultatem ex decretis in hoc provinciali synodo Mediolanensi a nobis editis habent episcopi, eam ipsos per suos vicarios generales exequi posse volumus; nisi in iis quæ proprie ad ordinem episcopalem pertineant; aut in quibus vicarii a SS. canonibus aut a Concilio Tridentino vel a nobis expresse exclusi sunt. » Igitur responsum datum a Sacra Congregatione, 5 maii 1585, in sensu nimis generali ab auctore *Prælectionum* accipitur, estque limitandum, ut fert ipsa declaratio, « *juxta decretum concilii provincialis tertii*; » id est, posse quidem vicarium generalem, de mandato saltem tacito episcopi, capitulis intervenire seu quolibet mense aut saltem sæpe in anno, et rebus illis providere quibus provideret episcopus ipse si adesset, et exceptis excipiendis. Sed tantum abest ut Concilium decreverit convocationem capituli et presidentiam in omni casu ad episcopum vel ejus vicarium pertinere, canonicosque ullo in negotio per se ipsos, et absente prælato vel ejus vicario, non

posse rem quamcumque tractare. Insuper primæ sedes in casu vicario generali honoris causa debita non idem ac presidentia proprie dicta sonare videtur; sufficit ut prædictus vicarius munere suo libere et decenter fungatur ad mentem Concilii provincialis tertii, et præfectus capituli canoniceque omnes cum illo reverenter se habeant. Denique, monitos volumus lectores concilia provincie Mediolanensis, sub sancto Carolo feliciter celebrata, confirmata fuisse a Sancta Sede *in forma speciali*, et ideo illorum decreta jus facere quidem, sed pro sola prædicta provincia, sine ad alias dioceses extensione. Cf. Adnotationem XXVI volum. tertii hujusce præsentis editionis, et opusculum recens editum cui titulus: *Des doyens de Chapitre*, apud Vict. Palmé, Parisiis, 1867.

ADNOTATIO XIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XI, § II, n. 58; pag. 74.

IN EXQUIRENDIS CANONICORUM VOTIS, UTRUM SIT STAN-
DUM SANIORI PARTI AN MAJORI?

Oportet perpendere omnia quæ docet auctor noster in præsentis paragrapho, et discernere casus in quibus sanior pars, licet minor quoad numerum, contra majorem prævalere debeat. « Hodie inquit Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 437, non amplius attenditur sanior sed major duntaxat pars, ut dictum supra in cap. *Quia propter, 42, De elect.* » Cf. Adnotationem XXXIII volum. primi. « Præterea, in decretali *Cum in cunctis*, hoc titulo, addit apposite Giraldus, loc. cit. reprobantur consuetudines contrariæ, etiam juramento firmatæ, tanquam Ecclesiæ utilitatis læsivæ, quarum observantiam si quis jurare præsumperit, a perceptione Eucharistiæ abstinere debet donec condignam egerit penitentiam. Quid autem novi accesserit, tam ex Nicolao III quam ex Gregorio XIII, contra præstantes juramentum de observandis iniquis statutis et consuetudinibus, dictum est supra ad cap. *Petitio vestra, 31, De jurejurando.* » Cf. Adnotationes XII et XIII volum. tertii; *Des chap. cathéd. en France*, cap. xv, XLIV et LI; *Mémoire pour le chap. cath. de Nice.*

« Minor pars, inquit Barbosa, *De Canon. et dignitatibus*, cap. XXXVIII, quandoque totam obtinet potestatem, veluti quando major pars rationi non adherere probatur, ut dictum est, sicut et quando in pœnam privationis ob culpam aliquam incidisset, cap. *Bonæ, 1, cap. Cum nobis, De Elect.* cum similibus. »

ADNOTATIO XIV.

Lib. III. Decretal. Tit. XI, § II, n. 42; pag. 79.

ALIQUANDO REQUIRITUR UNANIMITAS CAPITULARIUM

« Uno casu, inquit Barbosa, *De canonicis et dignitatibus*, cap. XXXVIII, non major pars sed totum

capitulum obtinet potestatem, et omnium canonicorum consensus requiritur, quando scilicet negotium, de quo agitur, singulos concernit canonicos separatim; eo namque casu singulorum consensus requiritur, Glossa *vº Constitutum*, et *Ut singuli*, in cap. *Cum omnes, De constit.* Duen. reg. 295; Anton. Gomez. tom. *Variat.* cap. III, n. 14; Azevedo ad *Cariam Pisanam*, lib. II, cap. XIV; Villag. in tract. *De rebus Eccl. non alien.* lib. I, part. I, cap. CI, n. 7 et 8, et cap. CII, n. 7.) Ego ipse in *Collect.* ad dict. cap. *Cum omnes*, a n. 6; me citato in illo loco Diana, *Resolut. moral.* part. I, tract. III, resol. 29: et ita contradictio unius sufficit in his quæ competunt jure singulari, ut per Abb. n. 7. *Et dico*; Butr. n. 18, et Bero n. 58 in d. cap. *Cum omnes*, Caval. decis. 434 n. 5. Intellige de singulis, de quorum præjudicio principaliter agitur, secus si secundario; Glossa ult. in cap. *Quamvis pactum, De pactis* in 6. Tiraquell. in tractatu, in princip. n. 10 et 11. Nam eodem modo citatio ejus, cujus principaliter in *Collect.* est necessaria, non autem illius qui in *Collect.* lædi potest, ut per Glossam etc... »

ADNOTATIO XV.

Lib. III. Decretal. Tit. XII, Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, § I, n. 15; pag. 84.

ANONITER RECEPTIS ALIQUID EXIGERE OMNINO INTER-
DICTUM.

Caput XIV de *Reformat.* sess. XXIV, in quo statuitur ne pro provisione, electione, confirmatione, institutione aut admissione in possessionem alicujus ecclesiæ cathedralis, sive canonicatus, sive beneficii, sive præbendæ, sive distributionum deductiones, ex fructibus solutiones, promissiones, compensationes aut aliæ conditiones seu turnorum iura interponantur, non obstante quacumque constitutione vel consuetudine, etiam immemorabili; exceptis erogationibus consuetis applicari in usus pios, laudabili consuetudine seu constitutione introductis et ab episcopo approbatis, declaratum est et simul ampliatum a S. Pio V constit. *Durum nimis*, 31 maii 1570, decernente episcopos incurrere suspensionem ab officio pontificali, donec absolvantur a Papa, prævia restitutione receptorum; collegia et universitates interdictum, non tamen reservatum: singulares personas excommunicationem Papæ reservatam; et his pœnis ligari dantes quam accipientes, ibi:

« Præcipimus igitur et interdiximus omnibus episcopis, capitulis, collegiis et personis ad quas id pertinet, ne posthac fructus aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neque ipsorum cessionem vel renuntiationem, aut dulciaria vel alia quomodocumque petant vel exigant, aut quemquam sive ordinaria, sive apostolica auctoritate provisum, ad præstandum hu-

jusmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediunt vel remorentur. Quicumque contrafecerint, si Ecclesiarum antistites, tandiu a pontificali officii exercitio sint suspensi donec satisfactione prævia illis per Sedem apostolicam suspensio relaxetur: capitula vero et collegia quæcumque ecclesiastico subiaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant a qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam a Romano Pontifice absolutio- nis beneficium nequeant obtinere. Decernentes hujusmodi præstita juramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimo jurantes in hujusmodi censuram incidere, nec non irritum et inane quidquid secus super his per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus statuimus ut, ubicumque hujusmodi fructus et distributiones fabricæ, vel sacristiæ aut alterius pii loci usibus citra semestre tempus reperiuntur concessi, horum duntaxat dimidia pars ipsi sacristiæ vel fabricæ aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati prædicti integre percipiant.

Ampliatum est etiam ab Innocentio XIII, constit. *Ecclesiæ*, 22 sept. 1695, addente pœnas ipso facto, absque alia declaratione, incurrendas, privationis dignitatum, canonicatum, præbendarum, aliorumque ecclesiasticorum beneficiorum: et quoad regulares, privationem etiam vocis activæ et passivæ, ac graduum, munerum et officiorum obtentorum, et perpetuæ inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia in posterum obtinenda. Prohibente insuper, sub dictis pœnis Papæ reservatis, quascumque conventiones etiam juratas factas absque auctoritate apostolica ante provisionem Ecclesiarum seu monasteriorum, eas irritas declarando, ibi:

« Motu proprio... omnia et singula præmissa a præfatis Nicolao III, Pio V et Gregorio XIII prædecessoribus constituta, ordinata, interdicta et decreta, respective declarata, ut præfertur, expeditasque desuper illorum constitutiones seu litteras supra dictas, tenore præsentium, perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, illisque perpetuæ atque irrefragabilis apostolicæ firmitatis robor, patrocinium et præsidium adjicimus. Præterea ut eadem præmissa firmiter atque inviolabiliter de cætero observentur, ultra omnes et singulas pœnas in iisdem constitutionibus seu litteris impositas, privationis dignitatum, canonicatum et præbendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, et, quoad regulares, etiam vocis activæ et passivæ, ac graduum, munerum et officiorum quoruncumque per eos respective obtentorum, perpetuæ inhabilitatis ad illa, et alia similia vel dissimilia quocumque in posterum quomodolibet obtinenda, pœnas per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione, incurrendas adjungimus.

« Porro ad penitus extirpandum atque evellendum ab usum capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum seu statutorum quoruncum-

que, quæ perperam ac adversus sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum dispositionem, occurrente Ecclesiarum quarumlibet, præsertim cathedralium et metropolitanorum seu monasteriorum quorumvis vacantie, ab iis ad quos electio personarum idonearum ipsis Ecclesiis seu monasteriis per electionem hujusmodi respective præficiendarum, juxta privilegia et indulta apostolica eis desuper concessa, aut alias legitime spectat, sive ante sive post electionem prædictam, interdum iniri, concedi aut fieri consueverunt, motu... earumdem tenore præsentium omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quocumque spectabit, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præminentie vel dignitatis fuerint, sub eisdem omnino pœnis superius expressis, quarum absolutionem seu relaxationem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti duntaxat specialiter reservamus, districte prohibemus et interdicens ne capitulationes, pactiones, conventiones, concordata seu statuta hujusmodi ante ipsam quidem electionem, seu etiam postulationem de cætero inire, concedere aut facere audeant quovis modo seu presumant: illaque proinde, quatenus de facto contra præsentis nostræ prohibitionis formam inita, condita seu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribusque et effectu penitus et omnino vacua, ac nullius roboris et momenti esse et perpetuo fore, neminemque ad illorum seu cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, aut obligatum existere vel fore decernimus et declaramus. Quæ vero, electione seu postulatione hujusmodi secuta, quomodolibet iniri, condi, seu fieri contigerit, ad nos seu eundem Romanum Pontificem pro tempore existentem quamprimum deferri atque ita nostro et Sedis apostolicæ judicio subici præcipimus, suspensa interim eorum omnium et singulorum executione, donec et quousque ab eadem Sede, sine cujus auctoritate nihil omnino in similibus pascisci fas est, apostolicæ confirmationis robor in totum vel in partem receperint. Cæterum per præsentem non intendimus ea, quæ antehac contra supradictarum Nicolai, Pii, Gregorii prædecessorum, seu forsan aliarum apostolicarum constitutionum seu litterarum formam quomodolibet gesta fuerunt, ullatenus approbare, nec pœnas, ea de causa per transgressores incursas remittere vel condonare. »

ADNOTATIO XVI.

Lib. III. Decretal. Tit. XII, § II, n. 55; pag. 87.

DE BENEFICIIS EXTINGTIS AUT DISMEMBRATIS A PIO VII, ANNIS 1801 ET 1817.

Quoad beneficiorum suppressionem et dismembrationem, exstant celebres litteræ a Sanctissimo D. N. Pio PP. VII, tertio calendas decembris anni 1801 datæ; illas nunc percurrere studiosos juvabit. « Qui Christi Domini vices in terris gerere,

inquit Pontifex, atque Ecclesiam Dei regere constitutus est, omnes occasiones arripere, omnique opportunitate quæ ei offeratur uti debet, qua possit et fideles ad Ecclesiæ sinum adducere, et omnia quæcumque timentur pericula evitare ne, occasione amissa, spes amittatur etiam ea bona amplius assequendi quibus catholica religio juvari possit. Hæc fuerunt causæ quæ nos superioribus mensibus ad conventionem inter hanc apostolicam Sedem et primum consulem reipublicæ gallicanæ ineundam impulerunt, et eadem cogunt nunc ad cætera illa progredi quæ, si differrentur, et gravissimis damnis catholicam religionem affectam videri, et dilapsam spem illam omnem, in quam haud temere ingressi sumus, catholicam unitatem in Gallia retinendi, dolere deberemus... Nos itaque, audito consilio plurium venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, derogamus expresse cuicumque assensui legitimorum archiepiscoporum, episcoporum et capitulorum respectivarum Ecclesiarum, ac aliorum quorumlibet ordinariarum, et perpetuo interdicens iisdem quocumque exercitium cujusvis ecclesiasticæ jurisdictionis, nullius roboris declarantes quidquid quispian eorum sit attentaturus, ita ut eæ Ecclesiæ et respectivæ earum dioceses, sive integræ, sive ex parte, juxta novam peragendam circumscriptionem, et haberi debeant et sint revera prorsus liberæ, ut de iis nos constituere ac disponere ea forma possimus quæ infra a nobis indicabitur. Habentes igitur prorsus pro expressis et integre insertis omnia et singula, quæ præsentibus litteris necessario exprimeunda et inserenda forent, supprimimus et annullamus et perpetuo extinguimus titulum, denominationem, totumque statum præsentem infra scriptarum Ecclesiarum archiepiscopatum et episcopatum, una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis, cujuscumque generis, nimirum archiepiscopalis Parisiensis cum suis episcopalibus suffraganeis etc.... ita ut, deleta etiam omni jure metropolitico cujuscumque metropolitani ubicumque existens, omnes supradicti archiepiscopatus et episcopatus cum abbatibus, etiamsi eæ vere essent nullius cum separato territorio et jurisdictione, haberi debeant in posterum tanquam non amplius in primo ipsorum statu existentes, quia aut omni modo extincti, aut in novam formam erigendi. Derogamus item cuicumque assensui illorum archiepiscoporum, episcoporum, capitulorum ac quorumcumque ordinariarum, quorum Ecclesia ac dioceses, cum contineantur ex parte in supra dicta extensione domini gallicani, ex hoc tempore haberi debent perpetuo exemptæ ac separatæ quacumque jurisdictione, jure ac prærogativa prædictorum archiepiscoporum, episcoporum, capitulorum, aliorumque ordinariarum, ad hoc ut respective earum partes applicari, uniri atque corporari possint cum Ecclesiis ac diocæsis nova circumscriptione, ut infra, erigendis... » Insuper

idem Pontifex Joanni Baptistæ cardinali Caprara de latere legato amplissimas facultates, etiam subdelegandas, impertitur necessarias atque opportunas ad veteres paræcias sive supprimendas, sive arcioribus limitibus circumscribendas, sive latioribus amplificandas, et ad novas novis finibus erigendas.

Illarum tenor litterarum plane concordat cum principiis ab auctore nostro traditis, siquidem clausulæ derogatoriæ, licet jus interesse habentium tollant in casu, ex plenitudine potestatis apostolicæ, archiepiscoporum scilicet et episcoporum, capitulorum, abbatum, parochorum et aliorum beneficiorum, eo ipso agnoscunt necessitatem eorundem consensus, quando agitur de suppressione vel dismembratione beneficiorum ab eis possessorum.

Tandem necessitatem consensus episcoporum et capitulorum invictissime demonstrant litteræ apostolicæ in forma brevis ad episcopos et capitula Galliarum ab eodem bonæ mem. Pio VII, *Vineam quam plantavit*, die 12 junii 1817, directæ, ibi :

« Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis capitulis et canonicis Ecclesiarum vacantium regni Galliarum.

« Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et benedictionem apostolicam.

« Vineam, quam plantavit Dominus in florentissimo Galliarum regno, respicientes, post tot tantaque asperrimorum temporum discrimina, nihil sane ad utiliore ipsius procuracionem certius conducere agnovimus, quam multiplicare operarios qui in ipsa collaberent. Id carissimus in Christo filius noster Ludovicus, rex christianissimus, probe animadvertit, cupiensque suffulcire domum quam venti vehementes concusserunt sua nobis vota significavit, ut, novis diocesium limitibus præfinitis, episcopatum numeras in primis augetur, cognoscens quam ad cæteras omnes Ecclesiæ res, in amplissimo regno feliciter deinde componendas, id mirifice expediat.

« Non est equidem, venerabiles fratres ac dilecti filii, cur multo vobis sermone explicemus quo gaudio et quam incenso studio animum appulerimus ut pia hæc vota religiosissimi regis apostolica auctoritate nostra complerentur. Non enim ad mobilitatem humanarum rerum, ut inquit S. Innocentius I, de Ecclesia hoc pacto commutanda cogitavimus, sed quod jam diu optabamus, et pro temporum ratione assequi nunquam potuimus, prospere nunc ac feliciter, Deo juvante, confici posse gratulamur.

« Cum itaque, servatis sedibus archiepiscopalis et episcopalis quæ in præsens exstant, alias plures ex iis, quæ ante annum 1801 numerabantur, denuo erigere decreverimus, nova proinde diocesium divisio peragenda erit, quam iis finibus designare statuimus qui in majus dominici regis commodum redundent.

« Nostis profecto vestra experientia quam magnæ id utilitatis ad rectam diocesium administra-

tionem futurum sit, ideoque minime dubitamus quin in propositam diocesium divisionem lubentem animum præbeat. Hoc a vobis singulis nostris hæc litteris animo fidenti requirimus, siquidem de animarum lucro res est, venerabiles fratres ac dilecti filii, cui nullam nimium potest esse dispendium, quando eas Servator noster sanguinis suæ pretio redemit. Haud ergo pigeat nostris hæc curis, optimisque christianissimi regis consiliis, celer responso obsecundare, ne quæ pie salubriterque disponenda sunt ulla contentione turbentur, neve ulla parentur obstacula in iis exsequendis quæ a nobis postulat sollicitudo, quam Ecclesiæ universæ ex divina institutione dependimus.

« Omne interim donum perfectum a largitore cunctorum bonorum vobis adprecantes, apostolicam benedictionem paternæ nostræ benevolentie testem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die decima secunda junii 1817, pontificatus nostri anno decimo octavo. » Cf. *Des chapitres cathédraux en France*, cap. XXXIX.

Denique in litteris apostolicis *Commissa divinitus*, sexto calendas augusti eodem anno datis, pro nova diocesium circumscriptione idem Pontifex sic loquitur : « Universam itaque rei rationem, collatis cum eodem christianissimo rege consiliis, auditaque selecta venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium congregatione, mature diligenterque perpendimus, datisque ad archiepiscopos et episcopos, atque ad capitula Ecclesiarum vacantium litteris, nostra ipsis studia significavimus ut in propositam diocesium divisionem animum lubentem præberent. Quapropter rebus omnibus feliciter compositis... de novo constituimus et erigimus, etc.... »

Notandum quod litteræ *Vineam quam plantavit* ad capitula Ecclesiarum vacantium directæ fuerunt, quarum dismembratio proponebatur; quod contigit pro diocesi Aurelianensi, ut videre est in regestis venerabilis capituli. Ideo in fine litterarum *Commissa divinitus*, in quantum erat necesse, apposita fuit clausula : « Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, aliisque nostris et cancellariæ apostolicæ regulis... » In litteris vero *Qui Christi Domini vices* reperitur illud : « Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariæ apostolicæ regulis... » quia, anno 1801, consensus quidem archiepiscoporum et episcoporum pro tempore existentium revera fuit pettum litteris apostolicis *Tam multa*, 15 augusti 1801 datis, non autem capitulorum quorum expostulare vota, attentis circumstantiis, prorsus erat impossibile. Unde compertum unicuique remanebit nihil esse in litteris apostolicis inane aut superfluum.

ADNOTATIO XVII.

Lib. III. Decretal. Tit. XII. § IV. n. 106.
pag. 100.

DE RESERVATIONE PARTIS FRUCTUUM IN COLLATIONE BENEFICIORUM. PRÆSCRIPTA SANCTÆ SEDIS CIRCA RECTAM BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONEM.

« Summa decretalis *Ut nostrum*, hoc titulo, est quod generalis regula, in jure canonico statuta, sit ut a collatore beneficii, sive episcopus sit sive patronus, sine diminutione, hoc est, sine nova reservatione alicujus partis reddituum conferantur. Ubi autem ea reservatio non est nova, sed jam pridem introducta, distinguendum est an sit solum ad tempus, non vero in perpetuum, neque in favorem collatoris aut patroni, sed ex alia justa et necessaria causa, qualis esset si ex canonicatibus vel beneficiis reservaretur portio fructuum ad reparandam fabricam propriam Ecclesie beneficiati, vel ad exsolvendum æs alienum ab eo contractum ex aliquo infortunio; vel utrum reservatio jam antiquior facta fuerit in perpetuum, ita tamen in quolibet vacatione, interveniente novo pacto, seu contractu collatoris vel patroni cum recipiente beneficii, ut iis respective cedat annuatim, vel primo anno, partem illius proventus. Primus modus reservationis licitus est, posterior vero prohibitus tanquam suspectus et laborans generali periculo simoniæ, jure tam naturali quam divino interdictæ. (Giraldi, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 439. »)

Renuntiatio beneficii conditionata in favorem certæ personæ cum reservatione pensionis aut fructuum, vel cum reservatione accessus et regressus, prohibita est tum a jure communi can. 5. *Plerique*. caus. VIII. quæst. I. et cap. un. *Ut beneficia*, tum a Conc. Trident. cap. VII. sess. XXV. *de Reform.* et constitutionibus S. Pii V *Cogit nos*, 13 martii 1567, et *Romani Pontificis*, idib. sept. 1571. cujus communis juris sanctioni Summus duntaxat Pontifex de plenitudine possessatis derogare potest.

« Præterea, inquit Giraldus, in constitutione Benedicti XIV, *In sublimi*, 29. aug. 1741, damnantur et annullantur pacta cassationis pensionis reservatæ in beneficiorum resignatione, contemporanea ipsi resignationi, per anticipatas vel anticipandas solutiones: sicuti et omnes cassationes ac abolitiones pensionum per anticipatas solutiones obtente intra sex menses a capta possessione beneficii, etiamsi probari nequeat ullum præcedens pactum intervenisse, et cassatio secuta fuerit vigore supplicationis a Papa signatæ quæ ut subreptitie obtenta declaratur. Insuper tam resignans quam resignatarius, ipso facto et absque alia declaratione, privantur beneficio et declarantur inhabiles ad alia assequenda, sub pœna resignatario restituendi, et quidem sub peccato gravi, pecuniis cassatione hujusmodi pensionis simoniacæ

perceptas, applicandas arbitrio ordinarii locis piis vel pauperibus. Irritantur denique cassationes seu translationes commodi aut utilitatis percipiendi fructus pensionum factæ intra sex menses a capta possessione; et etiam ultra aliud temporis spatium, si constiterit hoc pactum præcessisse. Hæ eadem irritationes confirmantur in alia ejusd. Pontificis constitutione, *Ecclesiastica*, 15 jun. 1746. (*Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 72. »)

Licita esse reservationes de fructibus beneficiorum supra diximus, et reipsa Benedictus XIII, constituit. *Pius et misericors*, quarto id. maii 1725, pro Italia et insulis adjacentibus statuit mediam annuatim solvendam esse pro una vice a parochis, canonicis et beneficiatis pro fabrica cathedralis et collegiatæ ecclesie; ex qua constitutione depromere juvat admonitiones et dispositiones sequentes, licet aliquantisper a proposito præsentis alienas. Quæ dispositiones summam et plane Sede apostolica dignam sapientiam redeleat.

« Ut autem, inquit prælaudatus Benedictus XIII, præmissa quæ ad consulendum debito metropolitani et cathedralium, ac collegiarum ecclesiarum decori disposita dignoscuntur suum sortiantur effectum, præcipimus et mandamus quod mediæ annuatæ hujusmodi deponantur penes personam idoneam, ab episcopis cum scientia et consensu capitulorum deputandam, et successive ab eisdem, deficiente necessitate occurrendi reparationi ecclesie, investiantur et collocentur in stabilibus et fundis, seu capitalibus tutis, securis atque fructiferis, ac, ubi fieri poterit, in locis montium cameralibus non vacabilibus, pro dote fabricæ singularum ecclesiarum prædictarum, ac ejusmodi dotium annuus proventus non in alium usum quam reparationis, conservationis et mantentionis fabricæ earumdem ecclesiarum, ab uniuscujusque præsulibus, cum scientia pariter et consensu suorum capitulorum, in occurrentibus casibus erogetur; et quotiescumque dictas ecclesias reparatione non indigere constiterit, annui etiam fructus et fructuum fructus dotium prædictarum in aliis stabilibus, fundis et capitalibus tutis atque fructiferis ac respective in aliis locis montium eodem prorsum modo reinvestiantur et collocentur ad hoc ut ipsæmet dotes majora in dies benedicente Domino suscipiant incrementa, adeoque earum redditus supportando reparationis fabricæ ipsarum ecclesiarum oneri satis esse possint.

« Cæterum super præmissis omnibus, ac præsertim super iis quæ rectam et fidelem præfatorum dotium administrationem respicient, archiepiscoporum, episcoporum et prælatorum inferiorum, atque etiam capitulorum conscientiam peculiariter et districtè oneramus. Ac insuper quoties archiepiscopi, episcopi, vel ordinarii inferiores ac respective capitula in aliquo ex his defecerint, ita ut, vel ratione minus fidelis idoneique depositarii, aut causa non facti vel minus tuti et exinde deperdit

ADNOTATIO XIX.

investimenti, aut demum propter erogata capitalia, vel fructus in alios usus, aliquod præjudicium, emerit patrimonio fabricæ, ipsi archiepiscopi, episcopi, vel ordinarii inferiores et respective capitula, et singuli canonici qui defecerint, eorumque hæredes et successores, teneantur ad omnia damna et interesse favore prædictæ fabricæ, eorumdemque bona omnia pro potiori cautela affecta sint et specialiter hypothecata favore ejusdem fabricæ. »

ADNOTATIO XVIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XIII. De rebus ecclesiæ alienandis vel non; § II, n. 22, pag. 104.

EX CONCESSIONE PII VII BONA ECCLESIASTICA, TEMPORE PERTURBATIONIS GALLICÆ ALIENATA, IMMUTABILIA REMANENT PENES IPSOS QUI ILLA ACQUISIVERUNT.

Necessitas atque utilitas Ecclesie, juxta auctoris nostri sensum, sufficienter explicant Pii VII agendi rationem erga illos qui injuste, tempore perturbationis Gallicæ, bona ecclesiarum acquisiverant. Ea de re, in celebri conventionem, 15 julii 1801, legitur articulus XIII: « Sanctitas Sua, pro pacis bono felicitate religionis restitutione, declarat eos, qui bona Ecclesie alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque a se neque a Romanis Pontificibus successoribus suis; ac consequenter proprietatem eorumdem bonorum, redditus et jura iis inhærentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes. » Propter quod in litteris apostolicis *Ecclesia Christi*, 15 aug. 1801, ad universos Galliarum populos directis, idem Pontifex hoc enarrat: « Constantes in proposito ad omnia sacrificia pro bono unitatis descendendi ad quæ, salva religione, descendi potest, ut etiam pro viribus nostris tranquillitati Galliarum cooperemur, quæ denuo totæ turbarentur, si bona ecclesiastica alienata iterum essent repetenda, et ut, quod potissimum est, felix catholice religionis restitutio fiat, predecessorum nostrorum exempla sectantes declaramus eos, qui bona ecclesiastica alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque a nobis, neque a Romanis Pontificibus successoribus nostris, ac consequenter proprietatem eorumdem bonorum, redditus, et jura iis inhærentia immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes. »

ADNOTATIO XIX.

Lib. III. Decretal. Tit. XIII. § II, n. 44.
pag. 107.

DE EMPHYTEUSI QUOAD BONA ECCLESIASTICA; DE NON DIVIDENDIS EISDEM UT FIANI ALIENABILIA; DE BONIS MODICI VALORIS, ET DE CESSIONE FRUCTUUM.

« Hodie, attenta constif. *Ambitiosæ*, emphyteuteri nequit sine beneplacito apostolico, etiamsi

agatur de valoris exigui annuo redditu, puta juliorum septem, ut declaravit congr. conc. in *Prænestina emphyteusis*, 13 jan. 1715, Decretor. lib. LXV.

« Emphyteusis ecclesiastica, cujuscumque valoris sit, hodie et consuetudine et stylo congregationum Episcop. et regular. ac Concilii, non permittitur in perpetuum, sed usque ad tertiam generationem masculinam duntaxat. Et si emphyteuta in mora sit pro solutione canonis, conveniendus est coram iudice ecclesiastico, ut declaravit congr. Conc. *Marsorum*. 40 maii 1631, Decretor. pag. 432, ad II.

« Subnectuntur hic decreta congr. Conc. et episcoporum. et regular. prout referuntur in appendice synodi Sanctis-Lanucci episcopi Civitatis Castellane et Hortane sub n. XXXV, celebratæ anno 1756.

« Decretum congr. Concilii super bonis ecclesiarum ad livellum concedendis in *Parmen*. 7. oct. 1602. I. Bona ecclesiastica, quæ excedunt valorem annui redditus quinquaginta ducatorum, non possunt dividi, ad hoc ne diminuatur valor et reducat infra quadraginta ducatos, ut res fiat alienabilis. II. Non possunt bona ecclesiastica hujusmodi alienari, ipsis rectoribus ecclesiarum nec eorum consanguineis et affinibus usque ad quemcumque gradum. III. Sicut non possunt alienari parochorum et rectorum domus, ita prohibentur etiam ne alienentur prædia vicina et contigua ipsis ecclesiis. IV. Placet etiam ut reddatur prohibitio locationis omnium locorum piorum ultra triennium anticipata solutione. Et, facta relatione, Sanctissimus Dominus Noster annuit et mandavit expediri breve, 7. oct. 1602. Hieronymus Aguccius, secretarius.

« Altro decreto della S. Congr. de vescovi sopra le concessioni enfiteutiche.

« All' arcivescovo di Genova, li 12 febr. 1597. Se gli ordina far dichiarazione per decreto particolare nel prossimo sinodo, ed inculcare in visita che a nessuno di qualsivoglia stato, e condizione, sia lecito locare, investire, o in qualsivoglia altro modo concedere ad altri beni devoluti alle chiese, se ben soliti concedersi per il passato, se non colle debite solennità, e con quell' aumento e vantaggio d' affitto canone, o livello maggiore che sia possibile, avuto riguardo allo stato presente, ed a quello che per l' addietro se ne sia cavato, come vuole la ragione: sotto pena della nullità de' contratti ed altre imposte de' sacri canoni e costituzioni pontificie, contro quelli che distraono beni di chiese, o che l' acquisto senza le debite solennità; anzi che, potendosi senza far molto strepito, si deve procurare di recuperare i beni già fatti migliori e devoluti alla chiesa, e poi concessi per l' istesso prezzo di prima, per che queste convenzioni secundo la Rota sono nulle.

« Condizioni che si richiedono nelle dette concessioni, in altri decreti della medesima: I. Per